

omnem operam frustra collocari et consumi: sed, te  
 fauente, te iuuante, omnia facillime ac felicissime, etiam  
 quae maxime ardua videantur, superari. Complectere  
 me, obsecro, amore et pietate semper: confirma mihi  
 corpusculum hoc imbecille morbique vi et pertinacia  
 fractum et confectum: redde mihi amissas, redditasque  
 auge, mentis animique vires; vt ferre possim et susti-  
 nere onus grauissimum muneris, a me, tuo consilio, tua  
 auctoritate, suscepti. Tu rationibus meis hac in vrbe  
 liberalissime prospexisti tres vigintique annos: tu vr-  
 bem hanc, in quam ego paene puer; nondum enim duo-  
 deviginti annos habebam; humanitatis sitiens ac cupi-  
 dus ea mente properaram, vt, absoluto studiorum iue-  
 nilium curriculo, locupletatus ditatusque copiis bona-  
 rum litterarum quam maximis, in Franciae meae fines,  
 in moenia Coburgi, parentis altricisque puerilium stu-  
 diorum meorum liberalissimae, pro cuius vrbis non mi-  
 nus quam ciuitatis incolumitate et salute deum preci-  
 bus fatigare nunquam desistam, reuerterer; hanc igitur  
 urbem tu sedem meam, meum domicilium, fieri, au-  
 ctore magno Mascouio, iussisti: tu ornasti me, indignif-  
 simum tua liberalitate, adhuc et auxisti bonis commo-  
 disque innumeris. Eo certius spero, eo magis confido,  
 te adfuturum mihi porro esse tuo numine, tua ope;  
 praesertim quum tu ipse curae fideique meae credideris  
 tantae Scholae res, tot adolescentum ingenuorum, pu-  
 blicae spei, salutem, vt tua iam res, tua causa, non mea,  
 agi videatur. Iube, quaeso, iube Spiritum tuum iun-  
 gere et copulare arctissimis et firmissimis amicitiae con-  
 cordiaeque vinculis animos ac voluntates magistro-  
 rum, vt spectemus semper omnes sequamurque idem,  
 vt nihil suscipiamus, nihil facere aggrediamur, quo exi-  
 stimatio, quo fama, Scholae Thomanae laedatur et mi-  
 nuatur; vt ea semper, liberi et remoti ab omni studio,

H

ab